

De difficultatibus linguisticis

Aliquot ante annos David et ego per unum mensem institutum arti mathematicae dedicatum Pechini visitavimus. Hospes noster nobis suaserat ut cubiculum in deversorio ad usum nostrum prae-notaret, sed eum oravimus ut pro eo nobis in domicilio habitare liceret, credentes nos lingua Anglica colloquentes facile Pechini vitam cotidianam gerere posse. Cum primum in tabernas haud procul ab universitate sitas alimenta emere conati sumus, nos summopere erravisse percipimus: aliter atque apud Iapones nemo praeter paucos professores in universitate ne unum quidem verbum Anglicum intellexit. Cum eo tempore telephonulis non sumus usi, vita cotidia Pechini satis erat molesta: in cauponis digito monstrabamus quid comedere cuperemus, ad mercedem solvendam fasciculum chartarum argentariarum porrigebamus ut tabernarius summam iustam eligeret, et in tabernis nonnumquam imprudenter res miras emebamus: illam substantiam quam frumentum molitum credideramus sive pulverem ad rationem victus habendam sive cibum infantium esse debere decrevimus.

Aliquot dies antequam Pechinum nobis erat reliquendum propter carnem gallinae crudam quam incaute consumpseram violenter stomacho laboravi. Dum David orationem habet in illa universitate Pechinensi cuius institutum mathematicum in palatio imperiali est situm, ego sudans et pallida in lecto cubavi spasmis stomachi cruciata: stomachus etiam haustui aquae violenter resistavit. Vespere tam eram infirma ut vix e lecto surgere possem. Exhorruui cum me infirmam et debilem proximo die illud iter longum in Angliam suscepturam esse mente fingerem. Rete consulto non procul a domicilio nostro tabernam medicamentariam esse comperi. Aegre et tardissime per illam viam dolorosam membra fessa traxi usque denique sudore madida et cruribus trementibus ad illam tabernam desideratam perveni.

Tabernario patienter expectante computatorium meum prompsi in albo televesifico cuius illa symbola Sinensia monstrabantur (ut credidi) quibus is morbus quo laboravi designabantur. Fronte contracto et caput quatiens tabernarius me aspexit: fortasse iis symbolis illam paginam retialem non posse monstrari significabatur? Desperatione capta mecum volutavi quid mihi faciendum esset. Cum denique manibus adiuvantibus me vomitare et stomachi dolore captam esse imitata essem, tabernarius ridens capitis motu nutavit et mihi capsam medicamenti cuiusdam monstravit. Suspiciose illam capsam perscrutata sum, dubitans num tabernarius profecto spectaculum meum bene intellexisset. Subito cachinnino capta sum: in ea capsula imago stomachi ridentis erat picta. Omnia bene.